



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum liceat adiurare homines? 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

*Vtrum liceat adiurare hominem?*

**A**D primum sic proceditur. Videtur, quod non liceat hominem adiurare. Dicit enim \* Origenes super Math. Aestimo quoniam non oportet ut vir qui vult secundum Evangelium vivere, adiuret alterum. Si enim iurare non licet quantum ad Evangelicum Christi mandatum, notum est quia nec adiurare alterum licet. Et propterea manifestum est, quod Princeps sacerdotum Iesum illicitè adiuravit per Deum vivum.

¶ 2 Præterea, Quicumque adiurat aliquem, quodammodo ipsum compellit. Sed non licet alium inuitum cogere. Ergo videtur quod nec liceat aliquem adiurare.

¶ 3 Præterea, Adiurare, est aliquem ad iurandū inducere. Sed inducere aliquem ad iurandum est superiorum, qui inferioribus iuramenta imponunt. Ergo inferiores superiores suos non possunt adiurare.

SED contra est, quod etiam Deum per aliqua sacra obsecramus, eum obtestantes. Apostolus etiam fideles obsecrat per misericordiam Dei, ut patet Roman. 12. Quod videtur ad quandam adiurationem pertinere. Ergo licitum est alios adiurare.

RESPONDEO dicendum, quod ille qui iurat iuramento promissorio per reuerentiam diuini nominis, quod ad confirmationem suæ promissionis inducit, seipsum obligat ad faciendum quod promittit, quod est seipsum immobiliter ordinare ad aliquid agendum. Sicut autem homo seipsum ordinare potest ad aliquid agendum, ita etiam & alios, superiores quidem deprecando, inferiores autem imperando: ut ex supra \* dictis patet. Cum ergo vtraque ordinatio per aliquod diuinum confirmatur, est adiuratio. In hoc tamen differunt, quod homo est suorum, actuum dominus, non autem est dominus eorum, quæ sunt ab alio agenda. Et ideo sibi ipsi potest necessitatem imponere per diuini nominis inuoca-

tionem.

492

sup. q. 83.  
a. 17. ad 1  
\* Origen.  
hom. vlt.  
in Math.  
non multū remota ante  
me. to. 3.

q. 83. a. 1

tionem. Non autem hanc necessitatem potest alijs imponere, nisi subditis, quos potest ex debito præstiti iuramenti compellere. Si ergo aliquis per inuocationem diuini nominis, vel cuiuscumque rei sacræ alicui non sibi subdito, adiurando, necessitatem agendi aliquid imponere intendat, sicut imponit sibi ipsi iurando: talis adiuratio illicita est, quia usurpat potestatem in alium quam non habet. Tamen propter aliquam necessitatem superiores, suos inferiores tali genere adiurationis constringere possunt. Si verò intendat solummodo per reuerentiam diuini nominis, vel alicuius rei sacræ, aliquid ab alio obtinere absque necessitatis impositione: talis adiuratio licita est respectu quorumlibet.

Ad primum ergo dicendum, quòd Origenes loquitur de adiuratione qua aliquis alicui necessitatem imponere intendit, sicut imponit sibi ipsi, iurando. Sic enim princeps sacerdotum præsumpsit Dominum Iesum Christum adiurare.

Ad secundum dicendum, quòd illa ratio procedit de adiuratione qua necessitatem imponit.

Ad tertium dicendum, quòd adiurare non est aliquid ad iurandum inducere, sed per quandam similitudinem iuramenti à se inducti, alium ad aliquid agendum prouocare. Aliter tamen adiuratione vimur ad hominem, & aliter ad Deum. Nam adiurando hominē eius voluntatem per reuerentiam rei sacræ immutare intendimus: quod quidem non intendimus circa Iesum, cuius voluntas est immutabilis. Sed quòd à Deo per æternam eius voluntatem aliquid obtineamus, non est ex meritis nostris, sed ex eius bonitate.

493

Ho. ult. 7  
Matt super  
per illud  
Ad iuro  
re, di no  
bis si tu  
es Chri  
stus 1. 3.

## ARTIC. II.

*Vtrum liceat daemones adiurare?*

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd non liceat daemones adiurare. Dicit enim \* Origenes super Matth. Non est secundum potestatem datam à saluatore adiurare daemones: iudaicum enim est hoc. Non autem debemus iudæorum ritus imitari, sed